



~~17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII.

PRORECTOR

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

**IO. HENRICVS
FEVSTKINGIVS**

**S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESSOR,
PVBL. CONSISTORII SACRI ASSESSOR, AVGVSTISSI
MAE PRINCIPIS ELECTRICIS SAXONIAE CONCIO
NATOR AVLICVS, ET SEREN. DVC. SAXO GOTH. CON
SILIARIVS ECCLESIASTICVS**

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.

Bene habet. sparsa sunt semina, agri, sed dispari fertilitate, consiti, foenoris centuplicis fruges, sed non ex omni solo, perceptae. egregia uero schola, quam Doctor, sine exemplo maximus, habuit, et diuinae plena sapientiae, qua nihilo magis illius familiaribus, quam nobis, exponitur, quid hic in coelesti ratione uel tradendae, uel perdiscendae ueritatis, commentemur. docendi partes sunt, ut ad fementem faciendam prodeant satores diuini, non habita ratione laboris et molestiae, ut sine fastidio liberaliterque praecepta disseminent, quamuis non eadem sit in omnibus concipiens comprehendensque natura, ut parum in cunctis afferat fructum. audientis est, considerare corruptelas humani animi, in quo uicium semina doctrinae conficit, itaque mentem ac uitam componere, ut illa, uelut fertilis terrae gremio, excepta, atque alta, cum omni uirtutum copia adolescant. maior hic res, neque id non consistat, geritur. at animis hic tam bene conuenit cum ingeniis, ut alienum non sit, ab illis ad haec transire. namque hic est ager ille, qui omni bonarum artium genere conferitur, ut floreat omnium uel segete, uel messe uirtutum, quibus aliquando respublica uel augetur, uel ornatur. uerum tamen non idem omnis huius fundi est ingenium, non par bonitas, non consimilis ubique cultura, neque adeo aeque ferax bonae frugis ubertas. nam plerumque uel ipsa, quam nondum liberalis institutio castigauerit, iniens aetas sic uitiis corumpitur, ut in animo sensuque pueri non uirtus, sed malicia latet abstrusa. quare hominem, quem nondum disciplina correxerit, et humanitate mitigauerit, belluam dixit familia Socratica, cum uirtutis, quae cadat in homines, originem, in ultimis ortus incunabulis, uestigaret. tantum saepenumero obscuratur malo prauoque animo docilitas, quae poterat in pueritia lucere. aliquando fulget indoles probitatis, ubi lumen ingenii desideratur. ita uoluntas non efficit, quod naturae languor negat, et parum fructuosus est labor, nisi aliis subleuetur adiumentis. adeo refert, explorari mature ingenia, quo succurratur aliis consilio, alia sese ad opportuniora dent studia, ne altera retardentur difficultate, altera, quam sumunt operam, perdant. neque uero tam effoeta laudis est natura, quin aliquos adolescentes non magis ad probitatem, quam ad scientiam, maiori praestantia finxisse uideatur. excitanda tamen est uis insita, ne, extinctis laudum igniculis, languescat, atque opprimatur. Quare hic, in tanta morum ingeniorumque uarietate, non est cuiuslibet serere, quod ex animi sententia metas, sed eius demum, qui teneat artem disciplinae, cum doctrina copulandae. tanti hoc, quicquid est, uisum est certe sapientissimo cuique, ut ad id, singulari libro, explicandum, industriam conferret sapiens Chaeroneus, alioqui solitus in nullo, nisi in magnae, et grauis scientiae argumen-

to uersari. ac disciplinam quidem qui segnius adhibet, is uero pa-
rum meminit, quam pestilens anguis in herba uel lactissima possit
abdi, quam uel in excellenti Caesaris ingenio plures, ut aiebat Sylla,
Marii possint inesse, quam rari sint ii Themistocles, qui uitia ineun-
tis adolescentiae magis uirtutibus emendent. extrahendum est ex
latebris monstrum, et, ne serpat animi uirus, non claua, sed boni
moris seueritate, domandum. sunt hic, qui semen uirtutis accipi-
ant magis auribus, quam animo complectantur. sunt, a quibus ex-
ceptum semen, propter asperitatem naturae, quae recusat imperium,
non agat radices. sunt, a quibus semen, tenellis defixum radici-
bus, inter spinas uoluptatis, et effusas herbas, frugibus inimicas, e-
lidatur. rarior haec est humus, in qua semen, sine fraude noxaque
seruatum, et caloris, atque succi, temperatione diffusum, frugis
profundat ubertatem. quamobrem ut tor occurratur incommodis,
colendus est hic ager, excidenda dumeta, purgandum a faxis solum,
tum demum gremio mollito, ac subacto, mandandum semen, ut
spei respondeat messis. male collocauit operam Libanius, quam-
uis gloriatur, nulli sese pepercisse sumtui, ut in Iuliano, quem ad-
modum loquitur, serere fruges possit, quas uellet. nam, cum ue-
tuisset Constantius, ne Iulianus adiret Libanium, hic, tabellario ma-
gna mercede conducto, absentem illum superstitione, non Athenis,
ut aiunt uulgo, sed ut ipse commemorat, Nicomediae, imbuat et
corrupit. At, in humiliori fortuna, melioris magistri partes admi-
nistravit, V. C. IOANNES PEISKERVS, atque in opida-
no hoc Lyceo, cuius studiis praesuit, tam ipse discipulos non solum
eruditos, sed etiam bonos facere studuit, quam alius rei gerendae
praebuit exemplum. Erat autem hoc ei a puero in more positum,
ut in hoc, quem natura tribuerat, agro, labore excolendo, non mi-
nus honestatis, quam eruditionis fructum consecraretur. ortum
Langenbergae, in Variscis, anno recuperatae gratiae c13 10c xxxi,
iii Kl Sextileis, honestis parentibus, Nicolao, et Maria, natalibus
Ninnigia, ex ludo patrio Gera suscepit, doctorum hominum stu-
dio clara. acceptum comiter ab Io. Sebastiano Mitternachtio, libe-
raliter complexi sunt Bergeri, Francii, Neandri, et Latinis, Graecis,
Ebraeis, auctum literis, anno c13 10c li Lipsiam dimiserunt hic
totum se dedit Cromayeris, Rappoltis, Geieris, Hulfemannis,
Carpzouius, quod, his ducibus, uel in dicendi ac disserendi ar-
te, uel in excutiendo Orientis thesauro, uel in commentationibus
sacris, elaboraret. anno c13 10c liii uenit Delitium, patronisque
commendatus, adolescentes in disciplina plures habuit, in his sex e-
questri loco natos, cum duobus etiam huc, anno eiusdem saeculi
nono et quinquagesimo, comueauit. tam praestantium dignitate ui-
rorum inuitatus, uentitauit, uti ferebat ratio temporis, ad Buchneros,
Oster-

IX 55 C 100 D. 11 A

Ostermannos, Notnagelios, Sennertos, Vuendeleros, Strauchios, ut hic praecipuos attingamus. coluit etiam propius Galouios, Meisneros, Quenstadios, Deutschmannos, ab iisque diuini afflatus mysteria percepit. eodem, quo hic accesserat, anno, probatus Augusto Buchnero, existimatori scientiae non mediocri, inter triginta sapientiae candidatos, honestum tenuit locum. secutum est tempus, quod ei potestatem fecit impertiendae aliis doctrinae. nam uel rationem sphaerae, et scientiam siderum, uel oratorias, et poeticas institutiones, interpretabatur. quaerebatur anno **CIO DC LXXIX** Io. Simonii, qui, relicta Lycei moderandi prouincia, Seydam accitus erat sacrorum antistes, successor, et, pluribus antelatus, sufficiebatur ille. hic uero dedit operam, ut auditores non minus sanctitate moris, quam literarum cultu, expolirentur. ad publicas explanationes, quae erat solertia, domesticas adiunxit. amans omnium, qui fidei suae crederentur, delegit ingenia, quae prolixius foueret, neque, quae estus spe ductus, sed studio praestantiores discipulos educandi inopes tamen in primis suscepit tuendos, eosdemque et sine praemio erudit, et, quanta potuit ope, iuuat. his rebus fiebat, ut rediret discipulos neque paucos, nec tenuiter a literis instructos. multum ualebat facultate componendi carmina, et scriptis huius generis, tum aliis, etiam in patrio sermone, laudem inueniebat. quamobrem anno **CIO DC LXXIX**, conciliato sibi Iona Schrimpsio, Laureate Poetica Caesarea, cum aureo annulo, tabulisque publicis, donatus est. post etiam in Sodalitatem, quae Teutonicae linguae studium profitetur, receptus. Vxores duxit duas, ut solitudinis taedia leuaret. alteram **A. CIO DC LXX** **MAGDALENAM TREBELIARIAM**, spectari uirginem pudoris, quamcum amplius septem et uiginti annos coniunctissime uixit. alteram, anno **CIO DC CC**, **ELISABETHAM**, Elisiae Hartmanni, ciuis Delitienensis filiam, tanta uirginem uirtute, ut, hac nihil sibi, ad curandam senectutis imbecillitatem, euenire optatius potuisset, ipse praedicaret. utramque dilexit eximie, stirpem habuit ex neutra. Ad octogesimum annum placide et tranquille, inter medios labores, uixit, sed hunc quadrimestri, et quod excedit, spatium, non potuit explere, nuper in febrem continuam implicitus, et leuato postea hoc malo, denuo calore senili, ac lenta neruorum resolutione, ad extremum confectus. Aegro, quantum potuit maximam, fidem curamque praestitit, Medicus arte et consilio promptus, **D. Ziegra**. sed hic idem a principio morbi timere seni. postea, quam decessit febris, grauior autem morbus non ita multo post accessit, non subdifferere iam rebus illius, sed omnino de salute desperare. At ille moriendi necessitate nihil commotus est, et salutari pignore, quod ab sacerdote grauis exempli, **L. Io. Hieronymo** de Vuedig acceperat, munitus, cum sensu diuinae consolationis, **VII** Eidus Februarias, excessit. Funus efferretur hodierno die, ab **H. I.** postmeridiana ex Lyceo opidano in uicinam aedem Marianam. Vos, **CIVES**, senis, de scholastico coetu, quem in seminario doctrinae nascentem aluit, bene meriti, laboribus fauete, atque his in exequiis cognitae uirtutis memoriam frequenti comitatu celebrate. **P. P.** Eidibus Februariis

1010

A. R. G. ∞ 10 CC XI

Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 117
W 118



Bene habet. sparta sine...
la libere, cooisti, loenore...
lois, perccitazazegia...
pio maximo, tabu...
ps familiaribus, quam nobis...
ret tradidit, vel perhibenda...
di partes sunt, ut ad...
non habet ratione...
duc praecipis...
cipiens comp...
crim...
pro...
ann...
omn...
ege...
n...
/

**PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS**

**IO. HENRICVS
FEVSTKINGIVS**

**S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROFESSOR
PVBL. CONSISTORII SACRI ASSESSOR, AVGVSTISSI
MAE PRINCIPIS ELECTRICIS SAXONIAE GONCIO
NATOR AVLICVS, ET SEREN. DVC. SAXO GOTH. CON
SILIARIVS ECCLESIASTICVS**

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.

